



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 2. Homines aqua punientes, & aquis puniri indignantes, quàm iniquè
Deum tractent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

dum DEVM identidem creaturis offendūt,
nollent ipsi offendi à creaturis.

§. II.

*Homines aquâ punientes, & aquis puniri in-
dignantur, quàm iniquè Deum tractent.*

Quàm iniqua hæc sint vota, indignæq;
cogitationes, vel à se ipsis discant. Emen-
dant, puniunt, occidunt homines homi-
nem aquis ad vitam sustentandam creatis;
& indignantur, quando rerum omniū Con-
ditor, aquis vtitur ad hominum scelera ab-
luenda? Vt homines hominem exitiabilem
morte multent, in mare proijciunt; vt e-
mendent, projecturos se minantur; & Deo
idem facere sit nefas? id cùm faciunt, lau-
dari volunt; cùm DEVS facit, criminantur?
Optimus est vsus aquarum, quando ijs ho-
minum corpora curantur; & pessimus sit,
quando illis hominum scelera castigantur?
Intolerabilis amentia est, quando mortales
sibi plus licere volunt, quàm DEO. An enim
non volunt sibi id licere? Certè voluerunt,
qui dixerunt: *Quæsumus, Domine, ne perea-* Ion. i. 14.
mus in anima viri istius, & ne des super nos san-
guinem innocentem: quia tu, Domine, sicut vo-
luisti, fecisti. Et tulerunt Ionam, & miserun-
in mare. Affinis huic historix est fabula A-

rionis, quam Poëtæ atque historici eleganter narrauerunt, declarantes scilicet, quæ ratione, homo in hominem etiam innocentem aquis sæuiat; DEVS autem innocentiam defendat. Ea verò fabula, super fidicine Arione *celeri admodum & cohibili oratione, vocumq; filo tereti & candido*, ut Gellius ait, scripta est ab Herodoto.

A. Gellius. lib. 16. c. 19.

§. III.

Arionis in mare iactati fabula.

Vetus, inquit, & nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymneus, terra atq; insula omni Lesbios fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumq; habuit, artis gratia. Is inde a rege proficiscitur, terras inclytas, Siciliam atq; Italiam visere. Ubi ea venit, auresq; omnium, mentesque, in utriusq; terra urbibus, demulsi. In quaestibus istis & voluptatibus amoribusque hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia, & re bona multa copiosus, Corinthum instituit redire. Nauem igitur & nautas, ut notiores amicioresq; Corinthios sibi delegit. Sed eo Corinthios, homine accepto, nauisq; in altum prouecta, prada, pecunias cupidos cepisse consiliu de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam ceteraq; sua, ut haberent, dedisse: vitam, modo sibi parcere.